Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

7. Aprilis. 7. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

7. *Aprilis.* 7. *Idus.*

B. HERMANNE, Hemmenrodenſis Converſe: cujus puriſſimam ſinè labe innocentiam ne homines ignorarent, à brutis didicere; quæ ad nutum tibi obſequebantur: quaſi vocis Divinæ recordarentur, qua primus homo, nondum reus violatæ legis, accepit univerſale imperium in animantia, non obſequij, licèt rationis expertia. Quanto devotionis affectu Auguſtiſſimam cœli Reginam colueris, ex reciproco illius in te amore, & vel uno hoc admirabili favore liquidum eſt. Cùm enim aliquando conſuetas de ipſa preces à te non ex integro perſolutas tunc primùm memoria ſuggereret, poſtquam laſſa diurno labore membra in ſtrato ad quietem compoſueras; ideóque ad orandum conſternatus exſilires; clementiſſima Virgo juſſit, ut neceſſario ſopore corpus refocillare pergeres: ſe interim ſolitum pietatis penſum ſibi pro te perſoluturam. Inſtante tandem fidelis obſequij fine, ab eâdem cognoviſti horam mortis: quam ut tantò lętior obires, etiam deſtinatam tibi in cœlo gloriam mortalibus oculis inſpiciendam præbuit. *Ora glorioſam, & gratioſiſſi-*

Circa annum 1170.

Bruta ei obediunt.

Mirandus in eum Mariæ favor.

Devotio in precibus. *tioſiſſimam Dominam meam; ut non permittat ſomnum oculis meis, nec palpebris meis dormitationem, donec quotidie integrè attentè, ac devotè, perſolverim orationis penſum, ad quod me vel leges obſtringunt, vel animæ neceſſitates ad piam conſuetudinem applicavere.*

Obijt circa annum 1230. B. ERMENTRUDIS: quæ ſanctę Julianæ Cornelienſi, tam inter proſpera, quàm adverſa, inexpugnabili fide adhærens, ærumnarum ejus, in exilio, ac in patria beatitudinis conſortium meruiſti. *Si patientiæ, & præmij, eadem eſſet quoad diuturnitatem menſura; daretur forſan aliquis querelæ locus: quia verò momentum compenſat æternitas, quis non libenter tecum perſeveret in cruce, ſine qua poſtmodùm vivet beatus, quamdiu Deus erit Deus?*

Patientiæ brevis longa corona.

S. BERNARDUS, ſer. 43. in Cant.

Jugum Christi leve. *Erit quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò eſt faſciculus myrrhæ. An non faſciculus, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve?*